

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 21. Actus, & exercitia Humilitatis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

§. XXI. *Actus & exercitia Humilitatis.*

Quia sine humilitate nemo potest placere Deo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, omni studio satagere debes, ut acquiras hanc virtutem, ejusque actus frequenter exerceas. Pro hac re proderunt sequentes industriae.

1. Cum animadvertes te aliquem defectum commisisse in sermone, refectione, oratione, aut alio quolibet exercitio; intentem ad Deum elevabis & veniam petes, projiciens errorem tuum in ardentissimam fornacem immensæ charitatis suæ, ut in ea statim consumatur. Tum ex ipso defectu scalam tibi conficies, qua ascendas ad humilitatem, & fructus ejus deceras, odium videlicet tui, timorem Dei, desiderium patiënti, & perfectè Deo serviendi. Figes autem mentis obtutum primo in Deo, ejusque infinita perfectione: deinde in te ipso, & summa tua miseria, ac perversitate. Tum ratione inter Deum, & te posita, dices: Heu miseram & infelicem animam meam! Volebat Deus, cui infinitam obedientiam præstare debes, ut hoc faceres, vel ab hac re abstineres; perfidus autem sensus contrarium suadebat: & tu infidelis, ac scelerata, quamvis cognosceres divinam circa hoc voluntatem; sensui tamen, ejusque pravæ suggestioni complacere, & consentire maluisti, quam sponsò tuo cœlesti. Hocne igitur obsequium Domino tuo præstas, vilissima omnium creaturarum? Hanc mutuam vicem illi reddis pro tot gratiis, & beneficiis ab eo acceptis? Siccine fidem servas, qua te illi in baptismate obstrinxisti? Sic solvis promissiones, & decreta adimples toties stabilita, faciendi semper in omnibus, & per omnia divinam voluntatem? In hunc sensum plura adjunges invehens in te ipsum, & innovans proposita, sicque ex malo bonum elicies, atque post lapsum validior resurges.

11. Cum suboriri in te sentis gloriam ex recte factis, aut ex donis Dei quæ in te sunt; cogita te nec posse, nec

scire quicquam ex teipso , sed Deum omnia int omnibus operari , te verò instar pueri esse , qui nec se attollere , tueri , stare ; aut nutrire potest , nec ab alio hoc postulare . Considera deinde multitudinem peccatorum tuorum , ob quæ æterna supplicia promeritus es : considera in quanta adhuc cadere possis , & quod certus non sis , an ullum unquam opus feceris Deo gratum : actiones tuas percurre , & nullam deprehendes , in qua te arguere non possis ; & hinc disce parvus esse in oculis tuis . Alphabetum etiam tibi conscribe imperfectionum tuarum , in quas frequentius labi soles ; & illud perlegè , cum vanitatum aura blanditur . Denique virtutum perfectissimos gradus , & eximiam civium superiorum sanctitatem attende , quam longè ab eis distes : Sic enim fiet , ut nihil in te inventias unde efferti queas ; sed multa potius , ob quæ confundi , & erubescere debeas & novissimum locum tenere .

¶. 1. Stude te ipsum cognoscere , & sic ad Deum aspira .
 „ Quid fui Domine ? quid sum ? & quid ero ? Fui nihil ,
 „ nihil sum , & ero forte nihilo pesus . Fui conceptus
 „ in originali peccato , sum plenus peccato actuali ,
 „ & quis scit , an ero condeinatus pena gehen-
 „ nali ? Fui miserabilis in ingressu , sum miserabilis
 „ in progressu , miserrimus ero in egressu . Cum nihil es-
 „ sem , fui sine periculo damnationis , & sine spe salutis :
 „ & jam sum in spe dubia & gravi periculo : ero aut ex re
 „ sperata felix , aut ex periculi successu infelicissimus .
 „ Sic fui , ut damnari non possem : Sic sum ut salvare vix
 „ possum : sic ero ut in æternum damnatus ; aut in æter-
 „ num salvus . Quid fuerim scio , quia fui pessimus : quid
 „ sim nescio , quia de gratia incertus : quid ero ignoro ,
 „ quia de salute dubitus . Quod fui , Domine , ignosce ;
 „ quod sum corrige ; quod ero dirige : dirige inquit à
 „ malo præterito ; in bono præsenti , ad præmium futu-
 „ rum .

¶. v. Actus hujus virtutis , per tres differentias temporis excicebis . In præsenti , admirando , agnoscendo , & fa-

tendo tuam insufficientiam , desiderando actus perfecti-
simos elicere , offerendo Deo actus elitos , & beatæ
Virgini , & omnibus Sanctis . Quoad præteritum , dolendo
de tua socordia . Quoad futurum , proponendo hujusmodi
actus omni possibili perfectione frequentare . Quia vero
præcipui actus Humilitatis sunt tres : Vilem se , & abje-
ctum reputare : Velle talem ab aliis haberi & tractari :
Vilissimum & pessimum omnium se existimare : Praxis
eos exercendi secundum tempus præsens , præteritum &
futurum , hæc erit .

v. Heu quanta est abyssus fragilitatis , vilitatis & nihili “
mei quoad esse , posse & operari ! quanta nihili moralis “
ob tot & tanta peccata , quæ feci , facio , & fortè fa- “
cturus sum , & quæ fecissim , facerem & facturus essem , “
nisi à Deo Creatore & Redemptore meo singulari “
gratia , ac providentia præservarer ! Quàm merito ergo “
me profundissimè humiliare deberem ! Seraphim ex in- “
timi sensu humilitatis velant alis faciem coram divina “
Majestate : quid ego vermiculus , pulvis & nihilum fa- “
cere deberem , qui ibo sicut aquam iniquitatem ? Ex- “
cedit hoc intelligentiam meam , & parem affectum non “
invenio . Agnosco tamen , & profiteor coram te , Deus “
meus , nihilum meum prout possum . Nihil sum sine te : “
quidquid facio , quicquid possum , tuum est ; solum ni- “
hilum malitiæ meæ meum est : Tibi ergo omnis laus , “
honor & gloria : mihi autem omnis confusio , & igno- “
minia , quia peccavi , & adhuc gravius peccasseni , si “
gratia tua defuisset mihi . Ideo in abyssum nihili mei “
infra omnes etiam vilissimos , & pessimos , secundum “
id , quod ex me sum & possum , me demitto , & abicio . Si “
quid boni in me est , tuum est : Si quid mali in me non “
est , mera gratia tua est . Sic sentio de vilitate mea , & in- “
finita Majestate tua : Sic in æternum scitire desidero “
intellectu & affectu , non meo dumtaxat , sed omnium “
electorum tuorum Angelorum & hominum , omniumque “
possibilium creaturarum . Imperfectum meum , Dñe Deus “

„ meus , viderunt oculi tui ; sed in ejus supplementum of-
 „ fero tibi omnium Sanctorum , maximè B. Virginis hu-
 „ millimæ Matris tuæ intenissimos sensus , affectus , actus
 „ que internos , & externos , atque excessus intimæ hu-
 „ militatis quos olim elicuere , & elicient , unitos actibus
 „ & affectibus , quos tu in terris exercuisti . Suscipe , &
 „ offer æterno Patri , & satisfac pro me superbissimo
 „ peccatore :

„ O cæcitatem , arrogantiam , & malitiam meam !
 „ Quám parum huc usque , quám obiter , quám raro in-
 „ spexi abyssum nihili mei ! Quoties putavime aliquid
 „ esse , cum nihil sim ! Quoties dixi in corde meo , dives
 „ sum , & locupletatus ; & nullius egeo , & nescivi , quia
 „ miser ego sum , & miserabilis , & pauper , & cæcus &
 „ nudus ! Quám raro actus humilitatis exercui tot gratiis
 „ præventus , tot exemplis provocatus , tot oblatis occa-
 „ sionibus invitatus ! Atque utinam te numquam offendis
 „ dissem tot actibus superbiæ , Deus meus . Doleo de his
 „ quantum possum , eosque detestor affectu meo , & om-
 „ nium Sanctorum tuorum : & in compensationem tam
 „ tepidæ compunctionis meæ offero tibi contritionem , &
 „ lacrymas omnium verè pénitentium , qui suæ , vel alie-
 „ næ superbiæ maculas perfectissimè expiarunt :

„ Paratum cor meum Deus ; paratum cor meum ; ne
 „ desis tu mihi gratia tua , qua aspirante conabor deina
 „ ceps oculos mentis meæ crebrius desigere cum pro-
 „ funda admiratione in abyssum vilitatis meæ , & subli-
 „ mitatis tuæ , quam fateor me numquam satis posse
 „ penetrare , nec me satis posse humiliare , & despicere ;
 „ nec ab aliis condigne humiliari , & contemni : Fre-
 „ quentando tales actus internos , & externos cum actua-
 „ li reflexione : Suborta præsertim occasione , seu tenta-
 „ tione inanis gloriæ , contemptus aliorum , confusionis ,
 „ correptionis , admonitionis , & ignominiae , recognita-
 „ do me infinito contemptu dignissimum . Istos autem
 „ exiguos conatus meos offero tibi , æterne Pater , &
 „ offerre

offerre semper intendo affectu omnium Sanctorum, in “
unione perfectissimorum exercitorum humilitatis Christi “
Domini, B. Virginis, omniumque electorum tuorum. “
Tu qui humilia respicis in cœlo & in terra, respice in fa-“
ciem Filii tui dilectissimi humiliantis se usque ad mor-“
tem Crucis, humiliamæ Matris ejus & tot Sanctorum per-“
humilitatem tibi placentium, & da gratiam eos imitandi “
ad maximam tuam, æternamque gloriam. Amen. “

§. X X I I. Exercitium somni spiritualis.

Venerabilis Antistes & vir Apostolici spiritus Franciscus de Sales Episcopus Genevensis, cum adhuc juvenis esset, exercitium quoddam somni, sive quietis spiritualis sibi præscripsit, quod præcipuarum virtutum actus complectitur & est ejusmodi. Electo huic sacræ quieti & mystico somno, opportuno tempore, tibi primo in memoriam revocabis pios motus, desideria, sensus devotionis, animi decreta, inspirationes & lumina, quæ tibi unquam à Deo immissa sunt: morbos item, infirmitates & adversitates ex quibus profecisti; & bona proposita, quotquot olim fecisti, renovabis. 2. Quiesces in consideratione vanitatis, honorum, dignitatum & voluptatum hujus mundi, easque rejicies & abominaberis. 3. Quiesces in consideratione turpitudinis & miseriæ peccati, malorum quæ secum affert, pœnarum quibus hominem reddit obnoxium, bonorum quibus animam privat, illudque propter hæc detestaberis, & maximè quia displicet Deo. 4. Dorisitabis suaviter in cogitatione excellentiæ virtutis; quæ adeo pulchra & nobilis est, ut hominem mutet in Angelum & Deo similem faciat: eamque setio amplecti propoties, eligendo media ad ejus affectionem proportionata. 5. Ponderabis rigorem divinæ iustitiae & terribilitatem abyssi judiciorum Dei, teque ad virtutem excitabis ex attenta mortis & sequentis judicij consideratione, sic tecum differendo: En morior, quid proderunt mihi divitiae, quid carnis illecebrae, quid cul-

C. Bona Opus. Spirit.

K